



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

§. I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

dilectus Discipulus. Nimirum Incarnati Verbi Myſterium eſt perfectiſſimum divinæ Triadis compendium, & ſumma communicatio divinitatis ad extra in actu primo, ut loquitur Theologia Catholica; ita eſt omnino, Sanctiſſima Trinitas unus Deus, in Chriſto JESU Deo-Homine, perfectiſſimo modo in Æternum reſidet, & per ipſum, hominibus præſertim renatis in Chriſto, multifariam multisque modis ſe totam communicat.

NUMERUS QUARTUS.

Scripturarum, Prophetarum, Apoſtolorum, Angelorum, Sanctorum Patrum Teſtimonia de Chriſto, immò ipſiusmet Verbi Incarnati, ſe Deum revelantis, atque totius Trinitatis Divinitatem Chriſti manifeſtantis.

§. I.

VT magnum hoc myſterium abſconditum, ſapientibus hujus mundi, fidelibus Chriſti, clarius illuſtretur, ſcrutemur & Scripturas,

& Sanctorum Patrum effata, qui studia sua totamque vitam divinæ illi contemplationi consecraverunt; ut quantum potest humana mens, fidei luce roborata, ingrediatur in potentias mysterii absconditi ab origine mundi. Primus omnium Apostolorum Petrus primâ de Christo suæ fidei professione, ejus divinitatem confitetur, istis verbis, à Matthæo c. 16. relatis. Tu
 „ es Christus Filius Dei vivi. Respon-
 „ dens autem JESUS, dixit: Beatus es
 „ Simon Barjona quia caro & sanguis
 „ non revelavit tibi, sed Pater meus qui
 „ in Cœlis est; & ego dico tibi quia tu es
 „ Petrus & super hanc petram ædifica-
 „ bo Ecclesiam meam, & portæ inferi
 „ non prævalebunt adversus eam: & ti-
 „ bi dabo claves regni Cœlorum, &
 „ quodcumque ligaveris super terram,
 „ erit ligatum & in Cœlis, & quod-
 „ cumque solveris super terram, erit
 „ solutum & in Cœlis.

Tres sunt, inquit, Discipulus quem diligebat JESUS, qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt: & tres sunt, qui testimonium dant

dant in terra, Spiritus, Aqua & San-
 guis, & hi tres unum sunt: idest tres
 Divinæ Personæ, quæ unus Deus
 sunt, testimonium dant de Verbo In-
 carnato, quod sit verè Deus nobis-
 cum: Ideò dicebat Christus Philippo
 Apostolo, petenti ostendi illis Pa-
 „ trem: tanto tempore vobiscum sum,
 „ & non cognovistis me? Philippe qui
 „ videt me, videt & Patrem; non cre-
 „ dis quia ego in Patre, & Pater in me
 „ est; verba quæ ego loquor vobis, à
 „ me ipso non loquor; Pater autem in
 „ me manens, ipse facit opera: non
 „ credis quia ego in Patre, & Pater in
 „ me est, alioquin propter opera ipsa
 „ credite. Et iterum cum venerit Para-
 „ clitus quem ego mittam vobis à Pa-
 „ tre Spiritum veritatis qui à Patre
 „ procedit, ille testimonium perhibe-
 „ bit de me, & vos testimonium perhi-
 „ bebitis, quia ab initio mecum estis.

Tres etiam sunt testes humanitatis
 veræ, qua Verbum Incarnatum Di-
 vinitatis suæ radios, & infinitam Ma-
 jestatem, velut pallio tectam, nobis
 exhibuit, in substantia nostræ morta-
 litatis contemplandam: videlicet Spi-

34.
ritus, Aqua, & Sanguis; & hi tres
unum sunt, unitate ejusdem testimo-
nii. Unum inquam per relationem ad
eandem humanitatem, ab eodem Ver-
bo assumptam; Quam veram, non
apparentem & fictam, fuisse testantur
uno & infallibili testimonio, Spiritus
quem in cruce voce magnâ exclamans
tradidit in manus Patris: Item Aqua
& Sanguis, quæ simul ex ejus latere
post mortem aperto exierunt, ad
emundationem omnium delictorum
mundi: undè ipsi infideles à quibus
crucifixus est, talibus signis visis in
morte ejus, dixerunt verè Filius Dei
erat iste: & revertebantur percutien-
tes pectora sua ex contritione cordis.
Sic enim traditus est propter peccata
nostra omnium Salvator, per Sangui-
nem suum, mundi totius pretium, &
vivificator per mortem suam, per quam
omnibus vitam æternam promeruit.

§. II.

Sed & multis ante Incarnationem,
sæculis, omnes Prophetæ Christo
JESU ut Verbo Dei incarnando, te-